



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Tomus ...**

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1652-1663**

Illustrissimo ac Reuerendissimo D. D. Gabrieli De Esparza Salmanticensi
Episcopo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80513](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80513)



Illustrissimo ac Reuerendissimo

D. D. GABRIELI

DE ESPARZA
SALMANTICENSI
EPISCOPO.

NASCENTI libro, PRÆSVL ILLUSTRIS-
SIME, qui *partus quidam hu-*
manæ mentis à Clemente Alexan-
drino lib. i. Strom. dicitur non mi-
nus quàm homini opus Custode
Angelo esse crediderim. Quia vt in lucem
editur, hostium patet incurfibus: inuidus dente
petit, superbus naso suspendit, doctus nauseat, in-
doctus obstreperit. At ubi se se vir aliquis oppo-
nit meritorum celsitudine cœlo dignus, perinde
est, quodammodo, ac si vnus è cœlestium Cho-
ris Angelus protector accurrat. Profecto cùm
huic mentis meæ curæ nascenti custodem Ange-
lum perquirerem, optarémque eum esse, qui &
beneuolentiæ studio, & virtutum præstantia, &
authoritate vitæ, & sapientiæ splendore, & generis
claritudine excellens, facile posset omne malum
a 2 auertere:

ESCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.
F. IV.

auertere: non iam Angelum, sed Archangelum
felix inueni, ô GABRIEL ILLVSTRIS-
SIME, cui Archangeli Gabrielis apprime ethymon adapta-
tur. Nam vbi nos legimus *Archangelus*, in He-
bræo habetur *elo ha*, & in plurali *elohim* vnde
Deo, & omnibus Præsulibus sapissimè id nomen
tribuitur: propriè enim sonat *Iudicem, Antistitem,*
vel *Gubernatorem*. Hinc noster Alcasar Apoc. i.
asserit, vocem illam, *Ego sum Gabriel*, idem
esse, ac *Ego sum spiritus nobilis*, virtute, iusti-
tia, beneficentia, ac fortitudine Dei. Profecto
in Te hæ Gabrielis prærogatiuæ quasi de prima-
tu contendunt, & qualibet quasi suo iure prin-
cipali, Te ipsum in qualibet constituunt facile
Principem.

Quid enim de generis tui æthereæ claritate
dicam? Certè ab auis & atavis accepisti illustris-
simam, quam in operibus nobilitatem ostentas.
*Vera namque illa est nobilitas, (vti asserebat Au-
sonius) quæ angusta in uenis, accepta, in gestis
non atteritur.* Equidem si ad vitæ auctoritatem
solè planè fulgentissimum liceat aspicere, te ve-
rè Episcopum contemplor, O quantum, Deus
immortalis! donorum cœlestium hoc in nomine
lumen ingeris! Haud Episcopi nomen vanum
iactas, sed iis certè refertum virtutibus Paulus
auctoritatè, Episcopalem cap. i. v. 7. Tito com-
mendat. *Oportet Episcopum sine crimine esse, non
superbum, non iracundum, non turpis lucri cupidum.*
sed

sed hospitalem, benignum, sobrium, iustum, sanctum, continentem. Cum ergo Episcopus per has virtutes (cum D. Ambrosio de sacerdot. dignit. loquor) vitam exhibeat Deo compositam, per eas tu quoque Dei imitator ades omnibus tuis, omnibus immines, omnes contines. Inter hæc præclarissima sidera munificentia tua in morem Luciferi mirificè rutilat. Erat Abrahamus *Diues in possessione auri, & argenti.* Gen. 13. v. 2. sed mensam pauperibus structam lautè, esse volebat. Ad quæ D. Petrus Chrysologus ser. 21. *Abraham opes non habere, sed prorogare gestiebat, sciens se non incubatorem, sed dispensatorem Diuinæ positi largitatis.* Id voce elata, de Te Pax-Iulia prædicat, id Salmantica laudibus effert. Vna, & altera Diocesis tua tonat, quod de suo Traiano Plinius dixerat. *Tam velox est tua munificentia, tamque intenta in omnes, & accincta bonitas, ut tristius aliquid passis ad remedium sufficeret, ut scires.* Testor nostrum Pax-Iuliense Collegium, quod recens natum tua ex munificentia cœpit adolescere. De tua mirabili sapientia otiosa est commemoratio. Nam si Menander cecinit. *Sapientia ex incrementis computatur.* Sapientia tua Te ad Collegium D. Bartholomæi adduxit, ad Pampilonensis Ecclesiæ Canonicatum retulit, ad Pax-Iuliensis Præsulatū promouit, ad Salmanticense produxit. Nec tibi consistes. Tantæ enim sapientiæ ac virtutis augustiora incrementa debentur.

ā 3

Restat

EPISCOBAR
Theat. More
Tom III. IV
F. IV

Restat illud in Te magnum, totum omnino
nostrum, nimirum tua erga Societatem beneuo-
lencia, & perenne studium, quo eam foues, am-
plecteris, ornas. Deus bone, quàm amplius
hoc loco se se mihi aperit ad discurrendum
campus! quàm gestit oratio mea excurrere!
quam obiectas perrumpere carceres! Continebo
tamen illam, & habenis ad temperantiorem gy-
rum reuocabo. Hinc mihi Societatis alumno
spes fulgurat, munusculum hoc grata à Te ma-
nu accipiendum, eique Te Custodis non iam
Angeli, sed Archangeli officium præstiturum.

TVI OBSEQVENTISSIMVS.

ANT. DE ESCOBAR ET MENDOZA.

LECTORI